


recti lateris arctiores assumunt, tãto verius proposita parabole scribetur. Verũ quæuis recta linea iugans proxima quæcũque duo puncta ab inflexa paraboles particula, quæ eisdem finit punctis parũ admodũ ac penitus insensibiliter differt. Præterea notandũ est q̃ paraboles portio quæ fastigio proxima existit modico ac pene insensibili distat interuallo a circumferentia eius circuli, qui scribitur super centro, puncto existente mediæ diuisionis lateris recti atq̃ spacio medietatis eiusdẽ recti lateris, velut id manifeste liquet ex subiecta descriptione.

ELEMENTVM CONICVM XIII.

Si ab aliquo puncto extra datum circulũ suscepto duæ rectæ agantur lineæ altera quidẽ ad centrũ altera vero tangens eundem circulũ, atq̃ ab ipso contactu supra deductam ad centrũ perpendicularis agatur erunt deducta ad centrũ et semidiameter circuli atq̃ ad centrum deductæ particula, quæ



centro & perpendiculari adiacet continue proportionalis. Esto itaq̃ datus circulus a b, cuius centrũ c, atq̃ extra circulũ a b, susceptus vtcumq̃ punctus d, a quo ad c, centrũ quidem cõnectatur recta linea c d, secans circulũ a b, super a, tangẽs autẽ a b, circulum super b, signo sit acta b d, Rursus a d, cõtactu super c d, perpendicularis sit b e, Dico q̃ c d, deducta ad centrũ c, & semidiameter a c, circuli a b, atq̃ c e, sint continue proportionales. Coniungant itaq̃ b c, Et quoniã per propositionẽ xvii, li, iii, ele, angulus c b d, rectus est, atq̃ anguli ad e, signũ recti per diffinitionem perpendicularis. Erit igitur vt c d, ad b c, sic b c, ad c e, Ipsa autem a c, æqualis est ipsi b c, vtraq̃ enim ex centro circuli a b, Tres igitur rectæ lineæ c d, deducta ad c, centrum circuli a b, atq̃ eiusdem circuli diameter a c, & e c, sunt continue proportionales. Si igitur ab aliquo puncto extra datũ circulũ & reliqua vt supra quod oportuit demonstrare.

Corolarium

b ij